Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

tis. imbuta erat. Legerat in prophetis: exurgent mor-
tui et resurgent qui in monumentis sunt. No-
uissimam et uniuersalem resurrectionem credebat. Sed
presentem fratris quam postea uidit adhuc dubitabat.
Quapropter dominus: Ego sum inquit resurrectio et uita.
qui credit in me etiam si mortuus fuerit uiuet.
et omnis qui uiuit et credit in me. non morietur in e-
ternum. Credis hoc? ait illi. Utique domine. Mirandum
est quanta fides et uera confessio redundat in
sancta muliere. Ait enim. Ego credidi. quia tu es Christus
filius dei uiui qui in hunc mundum uenisti. Con-
sors est principis apostolorum Petri. consors Iob. consors
Abrahe. consors et diue uirginis beata Martha effi-
citur. Consors principis est. quia sicut ille credendo
patrem et filium et spiritum sanctum. filio dixit tu es Christus filius
dei uiui illud idem hoc confitendo ait. Tu es Christus
filius dei uiui qui in hunc mundum uenisti.
Consors sancti Iob est. quoniam sicut ille credendo dixit
in nouissimo die de terra surrecturus sum et
rursum circumdabor pelle mea. et in carne
mea uidebo dominum saluatorem meum. sic et hec cre-
dendo resurrectionem futuram ait scio quia
frater meus resurget in resurrectione in nouissi-
mo die. Consors Abrahe fuit. quoniam sicut Abraham
tres angelos sub fide sancte trinitatis hospicio suscepit.
sic et hec trinum et unum deum. et quod maius est deum
et hominem ede suscepit. Consors etiam diue uirginis effi-
citur. Suscepit uirgo deum et hominem ede in thala-
mo sui uentris. suscepit et ista deum et hominem
hospitio sui laris. Illos diuos pios artus quos
diua mater pio gremio suo nutriuit. hos pia
Martha ede suscepit. Quos illa genuit. ista fouit.
Ideo consors diue uirginis efficitur. sed dispar. Dispar
est merito. quoniam illa que est benedicta inter
omnes mulieres cui nulla dignitate consimilis
est. uirginali thalamo intacto dei filium suscepit.
hec corruptibili thalamo tabernaculo ipsum rece-
pit. Illa puerum unius diei. hec hominem triginta
annorum refocilauit. Itaque fidem prophetarum et confes-
sionem apostolorum corde credidit. et ope tenuit. iure
consors et particeps illorum est in celestibus regnis.
Et quia omnia possibilia sunt credenti. merito
accepit quod a domino petiit. quod desiderauit tenuit.
fratrem de morte suscepit. Quia ad uocem domini iu-
bentis Lazare ueni foras. qui quatriduanus
fuerat reuixit. Interim sollempnia tantorum gau-
diorum cena facta in domo Symonis leprosi. tam

a iudeis quam a fidelibus celebrantur. et Martha mini-
strabat. et ut nulla esset dubitatio miraculi. Laza-
rus unus ex discumbentibus erat. Credendum est inde
quod sicut ab orco et busto fratrem beate Marthe precibus eius
dominus resuscitauit. sic quemlibet peccatorem uere pe-
nitentem eam bono corde inuocantem. pro qua dominum ex-
orauerit necessitate. pius hospes eius amore
a peccatis releuabit. et saluum faciet eum. Imperator
celorum humillimus. quantum beatam Martham dilexerit
patet. Ut enim diue uirginis amplexibus illi pla-
cuit teneri. sic regum palacia uitans. in eius ede uolu-
it hospitari. pasci. portari. et quiescere. In eius domo
sacrata totam religiosam omnium religiosorum et
sancte ecclesie sacramenta instituit et patefecit. In ip-
sius lare pia sanctam ecclesiam informauit. duas ui-
tas actiuam scilicet et contemplatiuam. quibus pie
mulieres Maria et Martha saluatoris gratiam
acquisierunt. ei aptauit. et successoribus christicolis eccle-
siasticis recte uiuere desiderantibus tenendas osten-
dit. In his duabus uitis omnis regule cunctorum religio-
sorum ueteris et noui testamenti dogmata pendent
et adimplentur. quibus omnes sancti et electi dei ierunt
et migraturi sunt ad superna polorum gaudia. Proxi-
mum nostrum ut nos met ipsos amando in cunc-
tis necessariis secundum posse ei subueniendo. in acti-
ua uita cum Martha manebimus. Deinde super omnia
diligendo deum. eius solo amore terrena postponendo.
celestia amando uel intuendo in contemplatiua
uita cum Maria manebimus. Sic sunt tractanda terrena.
ut non amittantur celestia. Sic transeamus per bona
temporalia. ut non amittamus eterna. Hec pre celestibus terrena.
aut pre terrenis celestia sunt relinquenda. Quibus et
nos salubriter deo donante perfrui mereamur. quatenus
regnum celorum possidere ualeamus. Ceterum deserta hos-
pita Christi euangeliorum sub testimonio hec diximus.
ceterum ipsius uita finisque qualis fuerit. deinceps
breui pena percurramus.

Scissima igitur Martha uiscere tenus audita
et percepta sententia domini dicentis. omnis qui reli-
querit patrem et matrem aut uxorem aut filios
aut agros propter nomen meum centuplum accipi-
et et uitam eternam possidebit. omnem facultatem suam
in tribus diuisit partibus. Primam sorori sue Marie
Magdalene dedit. ex quibus ipsa domino et apostolis uic-
tum et uestitum illis annexa prebuit. Secundam partem
fratri suo Lazaro dedit. tertiam uero partem sibi
retinuit unde uiuebat. et saluatorem et discipulos